

UNIVERSITY OF TORONTO
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

Ph.D. level Medieval Latin Examination

APRIL 11, 1990

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. ST. ANTONY VISITS PAUL THE PROTOHERMIT

Et post sanctum osculum residens Paulus, cum Antonio ita exorsus est: En quem tanto labore quaesisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem, pulverem mox futurum. Verum quia charitas omnia sustentat, narra mihi, quaeso, quomodo se habeat humanum genus. An in antiquis urbibus nova tecta consurgant; quo mundus regatur imperio; an supersint aliqui, qui daemonum errore rapiantur. Inter has sermocinationes suspiciunt alitem corvum in ramo arboris consedissee, qui inde leniter subvolabat, et integrum panem ante ora mirantium deposuit; post cujus abscessum, Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors. Sexaginta jam anni sunt quod dimidii semper panis fragmentum accipio: verum ad adventum tuum, militibus suis Christus duplicavit annonam.

Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei marginem fontis uterque consedit. Hic vero quis frangeret panem oborta contentio, pene diem duxit in vesperum.

2. AN EPISODE IN THE IRISH CONVERSION TO THE ROMAN EASTER

Quo tempore plurima pars Scottorum in Hibernia, et non nulla etiam de Brettonibus in Brittania rationabile et ecclesiasticum paschalis observantiae tempus Domino donante suscepit. Siquidem Adamnan presbyter et abbas monachorum qui erant in insula Hii, cum legationis gratia missus a sua gente, venisset ad Aldfridum regem Anglorum, et aliquandiu in ea provincia moratus, videret ritus ecclesiae canonicos; sed et a pluribus qui erant eruditiores esset sollerter admonitus, ne contra universalem ecclesiae morem, vel in observantia paschali, vel in aliis quibusque decretis cum suis paucissimis, et in extremo mundi angulo positus vivere praesumeret, mutatus mente est; ita ut ea quae viderat et audierat in ecclesiis Anglorum, suae suorumque consuetudini libentissime praeferret. Erat enim vir bonus et sapiens, et scientia Scripturarum nobilissime instructus.

Qui cum domum rediisset, curavit suos qui erant in Hii, quive eidem erant subditi monasterio, ad eum quem cognoverat, quemque ipse toto ex corde susceperat, veritatis callem perducere, nec valuit.

3. FROM THE PREFACE TO A MODERN EDITION OF JOHN OF SALISBURY

ANNO post editum a nobis Ioannis Saresberiensis *Policraticum* uicesimo tandem prodit eiusdem *Meta-logicon* (sic enim inscriptus in codicibus optimis inuenitur liber qui *Meta-logicus* adhuc uulgo nominatus est) ad fidem antiquissimorum qui nunc exstant codicum, illius praesertim quem ipse S. Thomas archiepiscopus bibliothecae Cantuariensi legauit (de quo vide in Prolegomenis nostris ad *Policraticum*, p. x), etiam recognitum et commentario simili instructum. Viri quidem doctissimi Ingrams Bywater, quo auspice *Policraticum* tractaueram, a morte in anno 1914 amicis suis et Titteratorum rei publicae adempti ope in *Meta-logicon* illustrando

carui; iuuat autem Reginaldo Lane Poole, *principi* (ut bene dixit in concione ornatissima Orator noster Publicus), *principibus testibus, omnium Res Aevi Medii qui reuocant*, qui ipse paginas meas prima uice a typographis redditas inspicere amicissime uoluit, gratias iamdudum in Prolegomenis ad *Policraticum* actas iterare. Neque omittenda est beneficiorum commemoratio quae mihi praestiterunt Galfridus Butler, eques atque senator, et Clemens Hoskyns, presbyter atque baronettus.

4. THE "REVOLT" OF THE NUNS OF ST. RADEGUNDE AT POITIERS:
CHRODILDE AND BASINA GIVE THEIR TESTIMONY.

Dominis gloriosissimis regibus episcopi qui adfuerunt. Propitia Divinitate, piis atque catholicis populo datis principibus, quibus concessa est regio, rectissime suas causas patifecit religio, intellegens, sacrosancto participante Spiritu, eorum qui dominantur se sociari et constabiliri decreto. Et quia ex iussione potestatis vestrae, cum ad Pectavam civitatem pro conditionibus monasterii sanctae recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter abbatissam eiusdem monasterii vel monachas, quae de ipso grege non salubri deliberatione progressae sunt, ipsis disceptantibus, agnoscere deberimus: evocatis partibus, interrogata Chrodieldis vel Basina, quare tam audacter contra suam regulam, foribus monasterii confractis, discesserint et hac occasione congregatio adunata discessa sit; quae respondentem, professam sunt, famis, nuditatis, insuper et caedis se iam non ferre periculum; adicientes etiam, eo quod diversi eorum in balneo lavarent incongrue, ad tabulam ipsa iuserit atque saeculares cum abbatissa refecerent, etiam et sponsalia in monasterio facta sint.